

est peccatum in hominem ; in Deum solum non peccem. — Quomodo non peccas in Deum, quando in dilectionem peccas ? « Deus dilectio est. » Numquid nos dicimus ? Si nos diceremus : « Deus dilectio est » ; forte scandalizaretur aliquis ex vobis, et diceret. Quid dixit ? quid voluit dicere, quia « Deus dilectio est » ? Dedit dilectionem Deus, donavit Deus dilectionem. « Ex Deo est dilectio : Deus dilectio est. » Ecce habetis, fratres, Scripturas Dei : canonica est ista Epistola ; per omnes gentes recitatur, orbis terrae auctoritate retinetur, orbem terrarum ipsa aedificavit. Audis hic a Spiritu Dei : « Deus dilectio est. » Jam si audes, fac contra Deum, et noli diligere fratrem tuum.

6. Quomodo ergo jam dudum : « Dilectio ex Deo est » ; et modo : « Dilectio Deus est. » Est enim Deus Pater et Filius et Spiritus Sanctus : Filius, Deus ex Deo ; Spiritus Sanctus, Deus ex Deo ; et hi tres unus Deus, non tres dii. Si Filius Deus, et Spiritus Sanctus Deus, et ille diligit in quo habitat Spiritus Sanctus : ergo dilectio Deus est ; sed Deus quia ex Deo. Utrumque enim habes in Epistola ; et « Dilectio ex Deo est », et « Dilectio Deus est ». De solo Patre Scriptura non novit dicere quia ex Deo est. Cum autem audis « ex Deo » ; aut Filius intelligitur, aut Spiritus Sanctus. Quia vero dicit Apostolus : « Caritas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum qui datus est nobis » ; intelligamus in dilectione Spiritum Sanctum esse. Ipse est enim Spiritus Sanctus, quem non possunt accipere mali ; ipse est ille fons de quo dicit Scriptura : « Fons aquae tuae sit tibi proprius, et nemo alienus communicet tibi. » Omnes enim qui non diligunt Deum, alieni sunt, antichristi sunt. Et quamvis intrent basilicas, non possunt numerari inter filios Dei ; non ad